



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

VII. Ejusdem Confirmatio Constitutionis Carolinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CONFIRMATIO CONSTITUTIONIS,

A

CAROLO IV,

ROMAN. IMPERATORE,
PRO ECCLESIA EDITÆ,

Cujus paulo ante specialis fit mentio,

Quemadmodum publicari jussa est in Concilio
Constantiensis Sessione XIX.

Ipsam Autographum Constitutionis CAROLINÆ affervari Romæ in
Libro Cancellariæ Romanæ Ecclesiæ, Sessione XIX Concilii
Constantiensis asseritur: quo remittimus Lectorem.

Sacrosancta Synodus Constantiensis, in speculum suæ considerationis extollens, quam gravissima dispendia Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, Xenodochia, & alia pia loca, ac personæ Ecclesiasticæ, sic tempore Guerrarum & lugubris Schismatis, pro dolor, causante malitia & ambitione mentium humanarum, ad talia diversis coloribus, modis & titulis inbiantium improbe, hæctenus pertulerint, maxime à tempore felicitis rec. Urbani Papæ VI inclusive citra, ac perferant incessanter, in tallis, collectis, exactionibus, occupationibus, invasionibus, detentionibus, distractionibus, concessionibus, venditionibus, infestationibus emphyteuticis, & aliis locationibus, donationibus, dimembrationibus, dationibus, permutationibus, & aliis variis & diversis alienationibus regnorum, provinciarum, comitatuum, dominiorum, territoriorum, districtuum, civitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, Bonorum, jurium etiam spiritualium, ac jurisdictionum ad Romanam & Ecclesias alias, Monasteria, Hospitalia, Xenodochia, & pia loca ac personas hujusmodi communiter vel divisiim spectantium, aliisque gravaminibus hæctenus à dicto tempore citra, & per ipsum tempus, seu ipso tempore usque in præsentem diem, præter seu contra dispositionem juris scripti quomodocumque & qualitercumque impositis, illatis, factis, seu præsumptis, aut attentatis: Ac intendens & cupiens circa reformationem immunitatis Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, ac recuperationem Bonorum & jurium suorum diligenter intendere, quamvis dudum contra seculares potestates, nec non Consules

Civitatum, ac alios, qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallis, collectis, & exactionibus aliis aggravare nitentur, in Lateranensi Concilio immunitati Ecclesiæ provisum fuit; per quod hujusmodi præsumptio sub anathematis distractione prohibita fuit, & illius fautores & transgressores excommunicationi subjacere, præcepit hujusmodi Concilium, donec satisfactionem earundem impenderent competenter: ac etiam constitutiones & sententiae, quæ à talibus vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, inanes & irritæ haberentur, nullo tempore valituræ; Et ut nullus vano in hoc de-
ciperetur errore, ut intra tempus sui regiminis hujusmodi anathema, quasi post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, decretum fuit in eodem Concilio, ipsum qui satisfacere recusaret, & successorem illius, nisi satisfaceret intra mensem, manere debere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter; cum etiam succedere debeat in onere, qui substituitur in honore. Et licet etiam in sacris legibus pro libertate & immunitate Ecclesiastica, sive Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, multa salubria & favorabilia statuta fuerint; dudum felicitis rec. Honorius Papa III, attente considerans, quod quondam Fridericus II, olim Rom. Imperator, tunc sub obedientia & devotione sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistens, ad laudem ejusdem Ecclesiæ & sacri decus Romani Imperii, cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ persone plena vigerent quiete, & securâ libertate gauderent: ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat,

Locus obscurus.

verat, ut non dubitarent, contra Ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones, statuta sua consingere adversus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem; Edictali lege huiusmodi statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita annunciari, & omnia statuta & consuetudines contra Civitates & loca, potestates vel Consules, aut quacunque alia persona, contra libertatem Ecclesiæ & Ecclesiasticas personas huiusmodi edere aut conservare tentaverint contra Canonicas & Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularibus intra duos menses post huiusmodi legis publicationem penitus aboleri facerent: & si de cetero talia attemptarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos; nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno M. marcarum auri fisco Imperiali præceperat subjacere: Potestates vero, Consules, statuarii & scriptores statutorum prædictorum, nec non consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memoratas judicarent, ex tunc essent ipso jure infames; quorum sententias & actus legitimos, statuerat aliquantulum non tenere: quodque si, per annum, præfatarum constitutionum inventi forent contemptores, Bona eorum per totum suum Imperium, mandavit, impune ab omnibus occupari, salvo nihilominus aliis penis, contra tales in generali Concilio promulgatis. Et insuper voluerat tunc idem Imperator, quod nulla Communitas, vel publica persona seu privata, collectas seu exactiones, angarias vel perangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis huiusmodi imponeret, aut invadere Ecclesiastica bona præsumeret: quod si secus faceret, & requisita ab Ecclesia vel Imperio, huiusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod, quacunque communitas vel persona per annum in Excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili ad iudicium seculare præsumeret trahere, contra Canonicas sanctiones, & contra Constitutiones Imperiales: quod si secus faceret, actor à suo jure caderet, & iudicium non teneret, & iudex foret ex tunc iudicandi autoritate privatus; quodque iudices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertio requisiti, suam jurisdictionem amitterent; prout in dicta Imperiali edictali Constitutione plenius continetur. Dictusque Honorius Constitutionem ipsam, de consilio etiam fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium qui tunc erant, autoritate Apostolica approbans & confirmans, ipsum mandavit inviolabiliter observari; nec non statuarios & scriptores prædictos, excommunicatos eadem autoritate nunciari. Et deinde ad evidentiam divæ memoriæ Caroli quarti etiam Romanorum Imperatoris semper Au-

gusti deducto, quod nonnullæ seculares persone, in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, & alii Domini temporales, nec non Consules Civitatum, oppidorum, villarum & locorum Recltores, in eorundem Provinciarum, Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes, motu proprio, & de facto, contra personas Ecclesiasticas & Ecclesiarum libertates & harum privilegia condiderant, illisque de facto & publicè utebantur contra Canonicas & legitimas sanctiones; utpote quod nulla Bona temporalia in vim & potestatem Ecclesiasticam transferantur, & ne Clerici, in sacris constituti, ad agendum & testificandum in civilibus, & maxime in piis causis, aliquatenus admitterentur; quodque excommunicati Laici & publicè denunciati, in foro civili minimè repellentur: & insuper cum prædicti domini temporales, Consules & Recltores per secularem potestatem res ac bona Clericorum occuparent, arrestarent, & oblationem Christi fidelium minuerent atque restringerent, exactiones & tallias indebitas de Bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones Ecclesiarum & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis, contractus inter Clericos & Laicos factos legitimos, ac libros Civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent, donaque & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras, contra dictorum & præfatarum voluntatem & aliorum quorum intererat, contra iustitiam usurpare præsumerent, ac in fraudem & odium Clericorum de Bonis Ecclesiæ & rebus Clericorum, quæ, non causa negotiationis, sed pro eorum propriis usibus per eorum terras & dominia ducebant & duci faciebant, teloneum exigere & recipere non verebantur, & confugientes atque currentes ad Ecclesias & earum cimiteria, inde extrahere contra Canonicas & Imperiales sanctiones præsumperant: Idem Carolus Imperator, tanquam Christianissimus Princeps, volens in præmissis providere de remedio salutari, etiam de quorundam Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque aliorum consilio, autoritate Imperiali, quacunque statuta & consuetudines prædictas, tanquam per Canonicas & Civiles sanctiones expressè reprobata, cassavit, irritavit & annullavit, ac cassa & irrita nulliusque roboris esse voluit penitus & momenti præcipiens sub indignatione banni Imperialis, universis & singulis principibus ac dominis temporalibus, consulis, potestatibus, & aliis in Officiis publicis constitutis, quatenus ex tunc ipsorum statuta & ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis edicta fuerant, omnia revocarent & de luce tollerent: quodque secundum ea non judicarent amplius, nec sententias ferrent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro & contra Ecclesiasticam libertatem potenter. Pronunciavitque insuper, & eadem decrevit autoritate, quod, quicunque Laicus, cuiuscunque status, gradus, aut conditionis existe-

existeret, ausu sacrilego & proprie temeritatis audacia, Sacerdotem vel Clericum Secularem vel Religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac huiusmodi maleficia perpetraret & facientes scienter receptaret, vel eis favorem præstaret, præter poenas à sacris Canonibus, Imperialibus & legalibus sanctionibus in tales promulgatas, eo ipso redderetur infamis, ac omni honore privatus, nec ad placita vel consilia Nobilium admitteretur quovis modo. Hortans insuper in Domino & requirens Ecclesiasticos Prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur talia, constitutos, ut legem Imperialem huiusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi, per simultam ignominiam, suas in hac parte valeant malitias excusare; prout in edictali lege prædicta plenius continetur. Quia non tantum in Provinciis & Regnis, quæ Romanum profiterentur Imperium, sed fere modernis temporibus ubique in toto Christiano orbe, neglectus huiusmodi Lateranensis Concilii Constitutionibus, Imperialibus ac sacris sanctionibus quibuscunque, ab imperiorum malitia adversus Ecclesias & Clericos nulla reverentia, nullo Dei timore, nulloque animarum interitu pensatis, eorundem temere audacia crevit insolenter: Igitur auctoritate Dei Omnipotentis prædicta omnia innovat, statuit & confirmat, perpetuæque futuris temporibus ab omnibus Christi fidelibus, ubilibet in omnibus & per omnia, juxta ipsarum Constitutionum tenores, sub bannis aliisque poenis & censuris, supra in eisdem comprehensis, inviolabiliter observandis.

Ceterum in eodem Lateranensi Concilio statutum & ordinatum fuit, quod Episcopus sive Ordinarius cum consensu sui Cleri, ad relevandas communes utilitates & necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, absque ulla coercitione possit Ecclesiasticas personas compellere ad aliqua subsidia Laicis conferenda, prius Romano Pontifice consulto: & hac sumpta occasione Laici in quamplicibus partibus, minis vel terroribus seu aliquibus aliis modis aut coloribus diversis ducunt, ut tallias, collectas, subsidia, impositiones, vel alia quævis onera, quocunque vocabulo seu nomine nuncupentur, Ecclesiis vel Clericis imponant, aut imponi consentiant, vel permittant cum facultate interdum per ipsosmet Laicos aut alios exigendi; ex quo Constitutio Lateranensis, quæ ob pietatem Laicorum fuit ordinata, in impietatem & grave damnum & jacturam Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum vertitur: Ideo dicta sancta Synodus hoc perpetuo statuit & ordinat, quod nulla persona secularis, cujuscunque dignitatis aut status & conditionis existat, etiam si Imperiali, Regali vel quacunque præfulgeat dignitate, sub prætextu consensus Episcopi, Clero tallias, impositiones & onera vel subsidia imponat, exigat vel recipiat nisi prius Romano Pontifice consulto; sub poenis, bannis, & censuris eisdem.

Idem per omnia, Romano Pontifice dictas tallias vel collectas imponente, vel imponi mandante, con-

sensu Episcopi vel Cleri non accedente. Episcopi vero, qui contra prædictum Concilium Lateranense vel hanc Constitutionem, imponendo vel imponi consentiendo vel exigendo, consenserint, eis ingressus Ecclesie ipso facto sit tandem interdixit, donec læsis Ecclesiis & Clericis ac Ecclesiasticis personis plenariam fecerint satisfactionem. Prælati quoque, qui contra sacrorum Canonum dispositionem, & contra Constitutionem Bonifacii VIII, quæ incipit, Vas electionis, visitando, vel charitativum subsidium nec non tallias & collectas imponendo, Ecclesias & Ecclesiasticas personas quocunque modo gravant, ipso facto ab omni administratione temporalium & spiritualium (etiam si in Pontificali vel alia dignitate existant) sint privati; aliis quidem poenis, in jure expressis, in suo robore permansuris. Item, considerans, quod nonnulli summi Pontifices ex captata opportunitate nonnullorum regum, dominorum, comitum & aliarum quarumvis personarum temporalium, aut ad ipsorum benevolentiam captandam, vel alio spiritu ducti, concesserunt & licentiam dederunt eisdem, tallias, collectas, subsidia, impositiones, datias, pedagia, aut alia quævis onera huiusmodi imponendi vel exigendi ab Ecclesiis, Clero vel Ecclesiasticis personis, in eorundem dominio vel districtu aut alibi constitutis & commorantibus, aliis ad tempus, aliis ad certam summam, sub diversis modis, formis vel conditionibus, in sanctis literis Apostolicis vel aliis huiusmodi licentiæ comprehensis; ideo omnes & singulas concessionem & licentias huiusmodi, etiam si de plenitudine potestatis Romanorum Pontificum aut Apostolicæ Sedis, quovis modo & quibusvis personis sub quibuscunque verborum tenoribus concessas, revocat, cassat, annullat & irritat. Dicitque dominis, comitibus & aliis, ut supra, expressis, mandat & jubet in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub poenis, bannis & censuris, nec non in triplicem restitutionibus, supra expressis, quas incurrunt ipso facto, quod abinde in antea dictis concessionibus, licentiis, aliqua & aliquibus ex ipsis nullo modo per se vel alium aut alios, directe vel indirecte, palam, publice vel occulte, imponendo vel exigendo, quocunque modo utantur; quinimo privilegia, concessionem & scripturæ huiusmodi, super dictis concessionibus & licentiis confectas, de luce alicui faciant.

Item, eadem auctoritate statuit, ordinat, decernit & declarat, quod regna, provincie, comitatus, dominia, territoria, civitates, districtus, terra, villa, castra, fortalicia, possessiones, edificia, grangie & quævis alia bona, res, jura, jurisdictiones, actiones reales & personales, spirituales & temporales, ac patronatus & pertinentie eorundem, & Ecclesiarum Cathedralium Diocesæ, quæ Romano sive Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Abbatialibus & quibusvis aliis Collegiatis Secularibus vel regularibus Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, mensisque Cathedralibus & Abbatialibus, Capitulis, Collegiis seu Conventibus, Hospitalibus, Xenodochiis, & quibusvis aliis piis locis,

alicui vel aliquibus ex ipsis temeritate vel audacia, dolo, vi, vel fraude, quomodocunque & qualitercunque per quasvis personas Ecclesiasticas vel Laicales, Capitula, Collegia, Dominos, Comitatus & Universitates, etiam si Imperiali, Regali, Cardinalia, Pontificali, vel alia quavis Ecclesiastica vel Laica præ eminentia & dignitate præfulgerent, à tempore sel. rec. Gregorii Undecimi inclusive citra; post cujus quidem Gregorii decessum schisma præsens, pro dolor, in Dei Ecclesia ortum habuit, quavis occasione seu colore quæsito fuerint invasa, occupata, usurpata, captata seu detenta, huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus mensisque Cathedralibus & Abbatialibus, Capitulis, Collegiis, seu Conventibus, Hospitalibus, Xenodochiis & piis locis, videlicet illi & illis, cujus, quorum vel quarum tempus, & in tempore invasionis, occupationis, usurpationis, captionis, seu detentionis huiusmodi erant & nunc sunt, dummodo tempore invasionis, occupationis, usurpationis, seu detentionis prædictæ, vel prius, & possessio, Ecclesiis, Monasteria, Prioratus, mensis Cathedralibus & Abbatiales, Capitula, Conventus, Hospitalia, Xenodochia, & pia loca, aut per aliquem vel aliquod ex ipsis, coram aliquo de executoribus sive conservatoribus, de quibus infra sit mentio, probetur infra tempus quadrimestre à die probationis prædictæ continue currendum, vel si fama de dicta possessione aut secuta invasione, occupatione, usurpatione, captione seu detentione huiusmodi erit in Diocesi Ecclesiæ, Monasterii, Prioratus, mensarum Cathedralium, Abbatialium, Capituli, Collegii, Conventus, Hospitalis, Xenodochii, vel pii loci huiusmodi, similiter infra simile quadrimestre, continuandum à die legitimæ citationis, monitionis seu requisitionis personaliter factæ, vel si possessoris copia commode haberi, aut bene tute ac legitime citari non possit, tunc & eo casu moneri & requiri valeat per edictum in aliquo loco Diocesis, vel ipsi Diocesi propinquo, ubi invasor, occupator, usurpator, captor seu detentor habitare consueverat, ad habitandum vacua & expedita, plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione & exceptione, restituantur, reddantur & redintegrentur, ac pacifice dimittantur, sub penis, hannis & censuris, & sub aliis ut supra, & sub triplicata restitutione, & sub infamia & occupatione & juris amissione, superius nominatis, quas negligentes, inobedientes, transfereiores, rebelles & contra facientes, incurrent ipso facto; à quibus penis & censuris & aliis prædictis non possint absolvi, nisi prius factis (ut præfertur) plenis & integris restitutionibus. Et nihilominus ex abundanti cautela, ipsa sancta Synodus ex certa scientia, prædicta bona, regna, Civitates, & cætera ut supra, illis quibus erant (ut præfertur) restituit, reddit & redintegrat per præsentem. Et insuper liceat Prælati, Capitulis, Conventibus, & rectoribus Ecclesiarum, Monasteriorum & locorum huiusmodi, quorum talia regna, bona, & cætera erant, & nunc sunt, eorumque successoribus aut eorum Procuratoribus & Syndicis, autoritate propria, alicuius consensu

vel licentia minime requisita, possessionem illorum intrare, capere aut detinere libere & impune, Constitutionibus & Privilegiis Apostolicis & Imperialibus, & aliis quarumvis personarum, nequaquam obstantibus. Rursus, quia contractus celebrati, nec non concessionis super regnis, Provinciis, Civitatibus, castris, villis, & aliis bonis supra expressis, vitio non purgato, verisimiliter ad vexationes redimendas facti vel factæ præsumerentur; ea propter ipsa sancta Synodus ex certa scientia omnes & singulas concessionis, donationis, venditionis, alienationis, pignorationis, divisionis, separationis, dimembrationis, distractionis, extenuationis, permutationis, obligationis, declarationis, revocationis, infundationis, reinfundationis, pacta, provisiones, promissiones, sententias, & alios contractus quosque, etiam si iuramentis fuerint corroborata & corroborati, etiam per viam aut modum cuiuscunque contractus, etiam in illis contenta, sub quacunque verborum conceptione appareant, post invasiones, occupationes, usurpationes, captiones vel detentiones regnorum, Provinciarum, Civitatum, & aliorum alicuius vel aliquorum bonorum huiusmodi, & ante eorundem bonorum plenariam restitutionem, de, in, pro, aut super eisdem alicui vel aliquibus ex regnis, & aliis bonis huiusmodi, vel ipsorum aut eorum aliquibus iuribus jurisdictionibus, actionibus, & pertinentiis realibus & personalibus atque mixtis, spiritualibus & temporalibus quibuscunque, quibusvis dominis, dominiis, Comitatus, universitatibus, Capitulis, Collegiis Patriarchalibus, vel aliis Ecclesiis quibusvis, sive eorum mensis, aut aliis personis quibuscunque Ecclesiasticis vel Laicalibus, etiam si Imperiali, Regali, Pontificali, vel alia Ecclesiastica & temporalis præfulgeant dignitate, quavis occasione, à dicto tempore Gregorii inclusive citra quomodocunque & qualitercunque factis & concessis, faciendis, concedendis per Romanos Pontifices, motu proprio, ex certa scientia, de plenitudine potestatis, cum omni defectuum supplemento, ac de & cum consensu & consilio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sive per modum aut viam contractuum quorumcunque, vel aliis aut quavis autoritate, etiam Apostolica, Imperiali, Regali, Legatorum, Nunciorum, aut Vicariorum Sedis Apostolicæ, sive ordinario legata vel delegata, etiam si factum & concessum fuerit per illas personas, aut de & cum consensu illarum, ad quas in talibus de jure & de consuetudine facere, concedere & consentire pertinuerit, nullas & nullos, nullisque juris, efficacis, firmitatis, roboris & momenti, atque viribus evacuatos & evacuatæ fuisse & esse decrevit & declaravit. Et nihilominus ex abundanti cautela, ipsas & ipsos revocat, cassat, abolet, irritat & annullat, ac viribus evacuat, ipsaque regna & Provincias, Civitates & alia bona cum iuribus & omnibus aliis supradictis, tenore præsentium illis, quorum vel quarum (ut præfertur) erant & sunt, reddit, restituit, & redintegrat. Statuens quoque & præcipiens, decernens & declarans, ipsa omnia & singula reddenda, resti-

for. * omnium

restituenda & redintegranda, quibus (ut præfertur) erant & sunt, vacua & expedita plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione, infra dictum quadrimestre, sub eisdem pœnis, hannis & censuris, & aliis quas incurrent ipso factò, & a quibus non possint absolvi, nisi ut supra continetur; aliis tamen juris remediis pro prædictis executioni demandandis in suo robore permansuris. Et nihilominus liceat Prælati & aliis, quorum talia bona (ut præfertur) erant & sunt, possessiones intrare &c. ut supra continetur.

Item dicta sancta Synodus eadem auctoritate ex certa scientia decernit & declarat, omnes & singulas concessionibus, donationibus, obligationibus, venditionibus, extenuationibus, pignorationibus, divisionibus, separationibus, dimembrationibus, distractionibus, permutationibus, obligationibus, declarationibus, revocationibus, infœudationibus, reinfœudationibus, accensuum, fructuum, seu responsionum aliarum, quocumque nomine seu vocabulo nuncupentur, extenuationem, extinctionem, pacta, promissiones, provisiones, sententias, & alios contractus quoscumque, etiamsi iuramentis fuerint convalidati & convalidati, etiam per viam aut modum cuiuscumque contractus, & in illis contenta sub quacumque verborum conceptione appareant, quibusvis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Ecclesiis Cathedralibus, sive antiquis sive post dictum schisma erectis, aut eorum mensis, Capitulisque, Collegiis, Comitatibus, seu universitatibus, & personis, etiam Imperialibus, Regalis, reginalis, Pontificalis, Cardinalitatis aut cuiuscumque Ecclesiasticæ vel mundanæ fuerint dignitatis, præcæminentis, status vel conditionis, de, in, pro, aut super regnis, Provinciis, comitatibus, dominiis, territoriis, Comitibus, districtibus, terris, villis, castris, fortalitiis, possessionibus, ædificiis, grangiis, & quibusvis aliis bonis, rebus ac pertinentiis suis iuribusque, Iurisdictionibus & actionibus realibus & personalibus atque mixtis, Cathedraliumque Ecclesiarum Diocesibus, ac patronarum iuribus, & quibusvis aliis tam spiritualibus quam temporalibus, sine aliquo vel aliquibus prædictorum ad Romanam, Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales, Abbatiales, & quasvis alias Collegiatis & non Collegiatis, Regularibus & Secularibus Ecclesiis, Monasteria, Prioratus, mensasque ipsarum Ecclesiarum, Capitula seu Conveniis eorum, aliquos vel aliquas ex ipsis factas & factos, præter vel contra dispositionem juris scripti, a dicto tempore Urbani Papæ Sexti inclusivè citra, quomodocumque & qualitercumque, usque in præsentem diem, sub quibusvis titulis, iuribus, actionibus, causis, modis, conditionibus, viis sive formis, & quavis occasione, etiam motu proprio, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, ac cum suppletionem omnium defectuum, etiam de & cum consilio & consensu sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sive per viam aut modum contractuum quoruncumque, vel alias & auctoritate quacumque, etiam Apostolica, Imperiali, Regali, reginali, Legatorum, Nunciorum, aut Vicariorum Sedis

Apostolicæ, sive ordinariæ, delegatæ vel subdelegatæ, vel quacumque alia, etiam si factum & concessum fuerit per illas personas, aut det cum consensu illarum, ad quas in talibus de iure & consuetudine facere concedere & consentire pertinuerit, fuisse & esse sub ipso iure nullos & nullas, ac nullius efficaciae roboris & momenti, viribusque evacuatos & evacuatas: & perinde ceteri & haberi, sub & cum modificationibus infra scriptis, ac si facti & factæ non fuissent. Concessionibusque, donationibus & cetera huiusmodi, & alias quasvis, quæ cum detrimento vel læsione Ecclesiarum, Monasteriorum, mensarum, Capitulorum, Conventuum, locorum seu personarum alicujus vel aliquarum huiusmodi factæ a dicto tempore Urbani Papæ Sexti citra, ex certa scientia & auctoritate prædicta hac editoriali constitutione, sub & cum supra & infra dictis modificationibus revocat, cassat, irritat, & annullat. Et nihilominus ad abundantiam cautelam, tollit & penitus viribus evacuat, dictaque regna, loca, territoria, districtus, iura, jurisdictiones, &c. ac bona huiusmodi ad jus & proprietatem Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum, mensarum, Capitulorum, Conventuum, & personarum huiusmodi, ad quæ seu quas spectabant & nunc spectant & pertinent, sub & cum supra & infra scriptis modificationibus restituit, reddit & reincorporat penitus per præfatos; quorum omnium possessionem vacuum, liberam, expeditam nihilominus illi qui talia bona tenuerint & tunc tenebant, debeant ac etiam teneantur infra dictum quadrimestre a die probationis vel citationis, monitionis seu requisitionis ut supra fiende, libere totaliter & cum effectu, vacua & expedita relaxasse & dimisisse Ecclesiis, mensis, Monasteriis, Hospitalibus, locis, & aliis personis huiusmodi, ad quas ante concessionibus prædictas spectabant & pertinebant, & nunc spectant & pertinent, seu spectare & pertinere possunt; sub pœnis, hannis, & censuris, & aliis, ut supra, quas incurrent ipso factò, & a quibus absolvi non possunt, nisi prius satisfecerint & restituerint, ut supra continetur. Et nihilominus liceat Prælati, Capitulis, Conventibus ac rectoribus Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum locorum huiusmodi, quorum talia bona fuerunt & nunc sunt, eorumque successoribus & Syndicis auctoritate propria, alicujus consensu vel licentia minime requisitis, cautione tamen prius præstita, ut inferius denotatur, possessionem illorum intrare, capere & recipere libere & impune, non obstantibus constitutionibus, privilegiis Sedis Apostolicæ, ejus auctoritate concessis, factis, concedendis & faciendis, ac impetrationibus sub quacumque verborum expressione & tenoribus concessis, & etiam si de ipsorum tenoribus expeditur facere mentionem specialem de verbo ad verbum, in totum vel in partem, quorum & quarum omnium ipsa sancta Synodus hic pro expressis, lectis & insertis haberi vult & decernit, nec non præscriptionibus, consuetudinibus & aliis contrariis & repugnantibus, aut quovis modo huic

constitutioni de cetero nequaquam obstantibus quibuscunque.

Predicta quoque, quæ de declarationibus ac revocationibus huiusmodi dicta sunt, non vendicent sibi locum in infeudationibus, reinfeudationibus, concessionibus & locationibus quibusvis perpetuis, solitis ante dictum tempus Domini Gregorii Papæ Undecimi fieri & dari in feudum, revivendum vicariatum, aut emphyteusim, & Regnis, Provinciis, Civitatibus, terris, castris, villis, locis, territoriis, districtibus, & aliis bonis seu juribus huiusmodi, aliquo vel aliquibus eorundem, dummodo utile dominium eorundem per pacificam tenentiam corporalis possessionis ante huiusmodi infeudationem, reinfeudationem, concessionem, non fuerit cum directo domino incorporatum & solidatum, ac etiam quod Canon & census antiquitus ante tempus Domini Gregorii Papæ Undecimi pro illis præstari & dari soliti, consueti seu admissi, si qui præstabantur, debite persolvent; nec etiam locum habeant in venditionibus bonorum, quorum iusta precia appa- rebunt & probabuntur, Conventuum & locorum huiusmodi, quorum (ut præfertur) erant dumtaxat, versa esse in permutationibus factis, versis in evidentem utilitatem Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum huiusmodi: nec locum sibi vendicent in concessionibus per Romanos Pontifices pro dotatione in totum vel in partem, ac pro alia quavis subventionem aliquarum Ecclesiarum Cathedralium & aliarum indigentium quarumcunque Civitatum, factis de aliquibus Ecclesiis inferioribus & bonis earum, dummodo huiusmodi Civitates ab antiquo & ante dictum schisma habuerint famam, titulum & nomen Civitatis, & dummodo etiam huiusmodi concessa non fuerint alienius Ecclesiæ Cathedralis, sed ab Abbatialibus inferiorum Ecclesiarum: nec etiam sibi sortiantur effectum in venditionibus & aliis alienationibus bonorum Hospitalium, Xenodochiorum, & aliorum piorum locorum quorumlibet, quæ Hospitalia, Xenodochia, & pia loca, ut sunt, ad Sancta sanctorum, sancti Spiritus in Saxia urbe, beata Mariæ nova de Florentia, de scala, de feminis, ac de misericordia, de paradiso, & similia pro sustentatione pauperum & hospitalitate conservanda consueverunt ab antiquo bona eorum vendere, aut taliter alienare, locare aut usumfructum concedere, secundum eorum statuta seu laudabiles & antiquas consuetudines pacifice hæcenus observatas, privilegii etiam antiquius à Romanis Pontificibus quibusvis religiosorum ordinibus bonorum & rerum huiusmodi indultis, ac etiam suis consuetudinibus in talibus ab antiquo observatis, in suo robore permansuris, nec etiam in vicariatibus, gubernatibus & ministratibus, seu locationibus aut feudis provinciarum, terrarum, castrorum, locorum, seu bonorum huiusmodi ad tempus novem annorum, vel abinde infra dumtaxat duraturis, prædictis tamen modificationibus non se ad prædicta invasa, occupata, usurpata, capta seu (ut præfertur) detenta, aliquo modo extendentibus. Cæterum, decrevit præfata sancta Synodus eadem anto-

ritate, quod, quicumque ex iustis & rationabilibus causis probaverit legitime, se de aut super regnis, Provinciis, Civitatibus, terris, castris, locis, vel bonis huiusmodi, vel eorum aliquo, pro precii persolutis, vel ex causa depositi sive mutui, aut aliis ex iustis causis recipere debere à Romana seu aliis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Hospitalibus vel locis ipsis seu eorum aliquo, aut ex Prælati seu rectoribus eorundem, occasione dumtaxat Ecclesiarum, Hospitalium seu locorum præfatorum, ad quæ ipsa bona pertinissent vel pertinerent, aliquas florenorum seu pecuniarum summas aut res alias, ac illas veras esse in utilitatem evidentem Ecclesiarum seu Monasteriorum aut locorum huiusmodi, quod facta coram loci ordinario deductione aut defalcatione fructuum aut proventuum perceptorum, arbitrio dicti ordinarii loci, sive rerum & bonorum de quibus ageretur, super quo ipsius Ordinarii conscientiam oneraverit & onerat, non obstantibus quibuscunque conventionibus seu pactis initis vel adjectis, etiam autoritate Apostolica vel alia quomodolibet roboratis, ac juramento vallatis, maxime quoad probandum, precia, res vel pecunias, versa esse in evidentem utilitatem, vel quorum talia bona fuissent, seu ut fructus in sortem computare quis minimè teneretur, aut quod faceret fructus suos, seu aliis contrarius & aliter disponentibus quovis modo Ecclesiæ seu Monasterium, Hospitali vel locis huiusmodi residuum quod declaratur ad restituendum illi qui solvisset, aut ejus hæredibus, seu ius vel causam aut titulum suum habentibus, intra annum à die talis declarationis continue computandum, vel ad huiusmodi bona obligata usque ad satisfactionem, ut infra declaratur, ipsis creditoribus restituendum pro dicto residuo declarato, eo ipso Prælati, Capitulum, Conventus ac Rectores talis Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis vel loci, cujus vel quorum (ut præfertur) ipsa bona erant, sub pena excommunicationis sint adstricti. Et nihilominus pro securitate creditorum super satisfactione huiusmodi, nullus ex Prælati & aliis supradictis possit aut debeat per se aut per alium, possessionem talium bonorum intrare, capere vel retinere, nisi idonea cautione prius per ipsos præstita coram loci Ordinario, ipsius vel ipsorum creditorum & huiusmodi Ordinario recusante, coram loci Ordinario debitoris de eo quod ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, vel locis aliis seu personis supradictis ratione declarationis huiusmodi tenerentur habere creditores ipsi intra dictum annum persolvendo, bona quoque talibus vendita, pignoratæ seu aliter obligata, alienata, vel ut supra concessa illis usque ad satisfactionem specialiter obligata remaneant & existant. Si autem intra dictum annum satisfactio quantitas declarata facta non fuerit, ut præmittitur, prævisis tribus protestationibus, diversis diebus per creditores seu eorum Procuratores factis, præfatis Capitulis, Conventibus, aut rectoribus huiusmodi super dicta satisfactione saltem intra mensem à die primæ protestationis faciendam, lapso dicto mense liceat huiusmodi credito-

ribus,

ribus, aut heredibus, Ius vel causam seu titulum habentibus ab illis, per se vel Procuratores suos auctoritate propria possessionem bonorum huiusmodi intrare, capere, ac illa tenere & possidere, fructusque & emolumenta ex illis percipere. Deducendo tamen de sorte ipsius debiti, quousque eisdem fuerit de quantitate huiusmodi debiti, ut praefertur, declarata integraliter satisfactum; ita tamen proviso circa praemissa & quodlibet praedictorum, quod pro debito Romanae vel alterius Cathedralis, vel inferioris Ecclesiae, hospitalis aut pii loci, Praelatus, Rector, sive alia persona huiusmodi, nisi solutum pro sua Ecclesia, hospitali, & pro loco in cuius evidentem utilitatem, auctaxat probabiliter, ut praefertur, precium & valorem versum est, spondebere, vel alias cautionem de debitis declaratis, vel alias minime praefatae tenentur: nec huiusmodi bona pro aliis bonis quoquo modo remaneant obligata, nec etiam de ipsis restitutio & redintegratio, ut supra est declaratum, quomodo vis valeat nec debeat retardari. Ceterum, quia lex salubris, praeteritis intendit & futuris casibus providere, decernit ipsa sancta Synodus eadem auctoritate, quod de cetero praemissis & infra scriptis nulla feudatio, locatio, donatio, venditio, permutatio, pignoratium, obligatio, sive quaevis alienatio aut declaratio, de aut super regnis, Provinciis, Civitatibus, terris, castris, locis, iuribus, ac iurisdictionibus, seu bonis praedictis, aut aliquo eorumdem auctoritatibus huiusmodi, seu earum aliqua, vel alias sine expressa deliberatione Concilii generalis, vel saltem Provincialis, cum evidenti tamen utilitate Ecclesiae & pii loci huiusmodi fieri possit vel debeat quovis colore quaesito, seu iam facta confirmari, extendi vel prorogari, aut de novo concedi quovis modo. Salvo, quod locationes usque ad praedictum tempus novem annorum, vel abinde infra, & non ultra, tam Apostolica quam ordinaria auctoritate valeant celebrari, cum dicta praestatione tamen census soliti sive rationabilis: ita tamen, quod fiant cum evidenti utilitate huiusmodi tam per Romanum Pontificem, quam per Praelatos & Rectores secundum juris scripti formam, etiam infundationes, emphyteoticaeque concessionis, occupationes, & revocationes de bonis feudalibus ac emphyteoticis ante dictum tempus Gregorii Undecimi infundari solitis, ad Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, vel pia loca huiusmodi, quomodolibet devolutis & devolvendis in posterum, cum modificationibus infra scriptis, pro censu & Canone solitis, aut ad auctis ante praefatum tempus Gregorii XI, & non de aliis, aut aliter ullo modo possint etiam fieri concessionis vicariatum, gubernationum & administrationum, regnorum, Provinciarum, Civitatum, terrarum, castrorum, locorum praefatae Ecclesiae Romanae, quae ante huiusmodi tempus concedi in vicariatum seu administrationem per Romanam Ecclesiam consueverunt per Romanos Pontifices ad tempora novem annorum, & abinde infra, & non ultra, cum responsionibus, Canonibus & censibus consuetis, melioratis seu ad auctis ante tempus praefatum: hoc addito, declarato, ac

reservato, quod Vicariis non solventibus eidem Romanae Ecclesiae censum ac Canonem debitum in terminis appositis, vel saltem intra mensem post lapsum terminum, eo ipso absque aliqua declaratione ad censum & Canonem duplicatos persolvendos praefatae Romanae Ecclesiae teneantur ac districti sint. Et, si primum & duplicatum censum seu Canonem praedictos intra alium mensem sequentem non solverint, ipso facto sententias, Bannas, & poenas huiusmodi incurrent. Si autem intra semestrem a lapsu primi termini praefati solutionem huiusmodi non fecerint de censu & Canone, ut praefertur, ipso iure cadant ab omni possessione vicariatus, gubernationis & administrationis huiusmodi, & concessa ad liberam ordinationem Romani Pontificis & Romanae Ecclesiae praefatae devolvantur, & devoluta ipso facto intelligantur esse, & sint, cum omni rerum integritate & causa. Et illud idem intelligatur servari, & fiat in & de Vicariis, gubernationibus & administrationibus Provinciarum, Civitatum, terrarum, castrorum & locorum aliorum quorumvis, Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & locorum aliorum praedictorum, & cuiuslibet eorumdem. Praemissa quoque extendantur ad solutionem feudorum, bonorum emphyteoticorum, & aliorum locorum responsiones quovis titulo, tam ad Romanam quam ad alias Ecclesias, Monasteria & loca alia supra scripta, communiter vel divisim, prout de censibus & Canonibus vicariatum praedictorum superius cominetur. Districtius nihilominus inhibens, ne qua prorogatio seu nova concessio vicariatum gubernationum seu administrationum huiusmodi de regnis, Provinciis, Civitatibus, terris, castris, & locis dictae Romanae Ecclesiae, fieri possit aut debeat, nisi de consilio & assensu Romanorum Pontificum & dominorum Collegii sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, eorum scrutatis votis, vel saltem per duas partes dicti Collegii in concordia, & non nisi pro evidenti causa, statu & honore Ecclesiae praefatae: Ita tamen, quod debeant ipsi Cardinales in literis Apostolicis, vel contractibus desuper factis, una cum Romano Pontifice propriis manibus se subscribere, ad instar antiquorum privilegiorum Apostolicorum in perpetuum. Et, si aliter, secus, seu alio modo in praemissis & infra scriptis omnibus, & contentis in praesenti Capitulo, vel circa ea facta, seu declarata etiam motu proprio, & de Cardinalium consilio seu consensu, seu alias & Apostolica vel quavis alia auctoritate, non teneant ipso iure, & nullam Ius contrahentibus vel recipientibus aliter acquiratur. Et nihilominus Vicarii ipsi gubernatores, & administratores, & alii recipientes, quovis nomine nuncupentur, vel titulo vel modo, etiam si sponte concederentur, vel alias contrarium facientes, ipsos processus, Bannas sententias, & poenas ipso facto se noverint incurrisse; Concessionibus, constitutionibus, privilegiis Apostolicis ac aliis quarumcunque personarum, nec non consuetudinibus & aliis quibusvis in contrarium facientibus, nequaquam obstantibus. Hoc sane intellecto, quod modificationes ipsa

supra scriptæ, & ipsarum aliqua aliis, qui tenent & tenuerunt regna, Provincias, civitates, terras, castra, sive alia bona, ut in alio infra scripto capitulo continetur, scilicet invasa, occupata, capta seu (ut

præfertur) detenta, non valeant in aliquo suffragari, quinimmo ad plenarie restituendum, reddendum, & ad alia faciendum, (ut in eodem capitulo continetur) pertinere sint adstricti.

RECEPTIO ET COMPROBATIO
STATUTORUM
PROVINCIALIUM
NICOLAI CVSANI CARDINALIS.

THEODERICVS, Dei gratia sanctæ Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Westphaliæ & Angariæ Dux, Apostolicæ Sedis Legatus, &c. Reverendo in Christo Patri, Domino Ioanni Episcopo Leodiensi, salutem in Domino.

Quia Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus, D. NICOLAVS, tituli S. Petri ad Vincula Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, ac per Alemaniam Apostolicæ Sedis Legatus, in Provinciali Concilio Colonienfi per suam Paternitatem Reverendissimam ac Nos indicto ac convocato, pro Reformatione Ecclesiastici status, nonnullas Ordinationes & statuta condiderit, statuerit & ordinaverit, quarum & quorum omnium tenores de verbo ad verbum sequuntur, & sunt tales;

STATUTA

In Concilio Provinciali Colonienfi

PER DOMINVM

NICOLAVM

DE CVS A

CARDINALEM,

Et Legatum de latere per Alemaniam,

comprobante Archiepiscopo
Colonienfi

THEODERICO.

NICOLAVS, miseratione Divina tituli S. Petri ad Vincula sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, per Alemaniam & nonnulla alia Re-

gna ac Provincias, Apostolicæ Sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam.

Adspirante Divinæ Pietatis influxu, & vigore Apostolici spiritus qui (teste Hieronymo) Petri Cathedram non deserit, se nunc ad pascendum Dominicum gregem diligenter convertente, actum est, quod sanctissimus Dominus noster, Dominus Nicolaus Papa V, oculos ad hanc magnam Provinciam Coloniensem attollens, Nos, licet omnium sacri Collegii Cardinalium minimum, transmiserit, ut videamus, qualiter Vos, Fratres & Filii dilecti, in via Domini proficiatis. Hinc Deo gratias agamus, qui Nos ad divina mysteria sollicitanda collegit, ut mutuis consiliis cuncta in melius dirigantur. Et, quoniam nunc adestis, vos Reverendissime Domine Theoderice Archiepiscopo Colonienfi, cum venerabili Capitulo, ac vestrorum Comprovincialium vices agentibus, venerabilibusque Abbatibus, Præpositis, Decanis, Canonicis, aliisque Religiosis & Devotis, doctisque Sacerdotibus & Magistris, numero copioso; tempus adesse credimus, ut nunc Deliberationum communium, per plures dies digeste factarum, fructuosa definitio subsequatur. Quæ ut clarior fiat, præmittendum arbitramur, Nos non velle, per ea quæ statuemus, Apostolicis aut Legatorum ejus, aut Nostri antea factis Ordinationibus in aliquo detrudere, neque etiam Comprovincialium aut Synodalium Dicecesium statutis, laudabilibusque consuetudinibus quibuscunque (quæ per Nostri, statim promulganda, Decreta non corriguntur aut limitantur) derogare, nec etiam auctoritati Apostolicæ Sedis aut ejus Legati, nec Metropolitanorum aut suorum Coepiscoporum Comprovincialium, nec Iuribus, Libertatibus, Privilegiis ac exemptionibus, præjudicium fieri quovis modo: sed potius Ius uniuscujuslibet, quale habere dignoscitur, salvum esse volumus. Ad aliqualem autem Eccle-